

inventæ, sed etiam ex revelatione divinâ certissimè probant. Ex quò fluit, mentes nostras esse in Deò, uti corpora nostra in spatiis. Ex his concludunt, mentem nostram quàm optimè Deum ejusque ideas conspiciere posse. Liceat nobis addere tertium præsuppositum, ne hæc sententia aliquem Enthusiasmum inducere videatur, quod scilicet Deus velit, ut mente nostrâ naturaliter tantum ea, quæ ad hanc vitam benè & tranquillè peragendam sunt conducibilia, perspiciamus. Nunc probandum est, quòd Deus etiam voluerit, ut res in ipsò Deò adspiciamus. Certi sumus, Deum omnia prudenter creasse, & consequenter observasse istud notum: quod potest fieri per pauca & modò faciliori, non debet fieri per plura, & modò difficiliori. Difficilius autem esset, si Deus homines creasset, ut rerum ideas ipsi producere possent, quàm si eos creasset, ut eas in Deò adspicerent. Uti pictor plantam Americanam, quam nunquam vidit, non pingere potest, ita etiam mens nostra nullam ideam, cujus non habet exemplar, potest producere.

§. XVII.

Si nos ut Philosophos Christianos decet, gerere velimus, nescio an ulla sententia nobis unquam dignior esse possit; vix enim ulla erit, quæ nostram cognitionem à Patre luminis dependere magis inculcet, si hæc non est. Omnia, quæ scimus, à voluntate Dei dependent. *Ὁὐχὶ ἰκανοὶ ἐσμὲν ἀφ' ἑαυτῶν λογισασθαι τι, ὡς ἐξ ἑαυτῶν, ἀλλ' ἡ ἰκανότης ἡμῶν ἐκ τοῦ Θεοῦ.* Non idonei sumus ex nobis ipsis ad cogitandum quicquam, velut ex nobis ipsis: sed quod idonei sumus, id ex Deò est. II. Cor. 3 v. 5 Ex quò patet, tantum nos scire, quantum Deus nobis permittat in seipsò adspicere. Et ne forsàn putes, Pauli verba tantum ad Theologica se extendere, evolvas Rom. I. v. 19. ubi expresse dicit, *ὁ Θεὸς ἀύλοῖς* (gentilibus, de quibus sermo est) *ἐφάνερωσε.* Deus ipsis notitiam manifestavit. Præterea quotidianâ videmus experienciâ, quod si velimus aliquam rem contemplari, multarum rerum ideæ nostræ menti sint præsentæ, quod non fieri posset, nisi unò intuitu in Deò multas adspicere valeamus ideas. Dubito etiam valdè, an unquam aliquod abstractum, v. g. genus vel speciem formare possimus, nisi omnes res in Deò intueremur; Nam cum v. g. animal in genere adspicimus, nihil est, quod in rerum naturâ isti conceptui respondeat. Tandem omnes in eò

con-

*Hæc sententia
Philosopho
non digna*